



h. 68, 46.

5492.

10

PATER PATRIÆ,
PRINCEPS,

IN
SERENISSIMO DOMINO
DUCE

BERNHARDO,
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIV.
ET MONTIUM ETC.

ORATIONE
NATALITIA,

IN ACADEMIA JENENSI
LOCO SACRO

DEVOTÆ SUBJECTIONIS STUDIO
DELINEATUS

VVENZESLAO von Brach
EQVITE SILESIO.



Literis MÜLLERIANIS, M. DC. LXXIIX.



1678



Serenissimo Principi ac Domino

BERNHARDO,

Duci Saxoniae, Juliaci, Cliviae

& Montium, &c.

Domino meo Clementissimo

S. F.



Nter suae felicitatis titulos se numeraturum pollicebatur notissimus ille apud Barclajum Poliarachus, *Princeps Serenissime*, cum primum posita Theocri- nes persona militari cultu ad Meleandri regiam veniret; si in tanti Principis aula liceret ad virtutem erudiri, Meleander, Rex mitissimi ingenii, non potuit

tuit non, quin votis damnaret Juvenem.
Præterquam enim, quod ipse gloriæ
suæ tribuebat, hominem, ad ornatum
seculi editum, in clientem sibi parare,
etiam ingentis animi specimen, amore
virtutis extra patriam trahi; & reliqua in
hospite spectabilia, viam ad futuram fa-
miliaritatis magnitudinem facientia,
suspiciebat. Mihi licet præter virtutis
amorem, & animum, ad maximarum
rerum spem parum à fortuna aut gene-
re datum sit, huc tamen confidentiam
veni, ut relictis patriæ finibus Tuæ,
Domine Clementissime, aulæ favorem
ambirem, experturus ipse, quod ubi-
que fama de Te loquitur, nullos tibi
chariores, quam qui virtutem ex Te
cupiunt discere. Nec spem votorum de-
stitutam, imò majora ipsis votis conti-
gisse, res ipsa testatur; me siquidem
non tantum clementissime excepisti;
sed & fratrem meum in aulam adscitum,

a a

sub

sub Tuis potissimum oculis primæ ju-
 ventutis rudimenta deponere benignis-
 sime voluisti. Meæ proinde fortis feli-
 citas, quæ me propitia huc advertit, ad
 quoddam pietatis monumentum statu-
 endum me monet, quo universo denuo
 innotescat orbi, in Te summum esse,
 quidquid est in mortalibus optimum.
 Tuo igitur favore hoc, quidquid est, ex
 se alias nihil ponderis ac momenti ha-
 biturum, dignare, Domine, &
 me, Tuo exemplo incitatum ad ma-
 jora indies adspirantem gratia Tua sub-
 leva. Ita Deus O. M. in his bellorum
 turbis ad communem omnium utilita-
 tem Te, Princeps Serenissime, salvum
 sospitemque præstet diutissime!

Celsitudinis Tuæ.

Jenæ IX. Cal. Mart.

cb. Is. c. LXXIIIX.

Subjectissimus

V Venzeslaus von Trach.





Alve festa dies, toto ve-
nerabilis anno
Liceat pace Tua, BERNHAR-
DE, *Princeps Serenissime*, liceat
hisce excipere diē hunc lætissi-
mum, quo divina benignitas
genus humanum ortu Tuo,

Orbis amor BERNHARDE, Domine Clemen-
tissime, beavit, & velut beneficum sidus è cœlo in
terras ad communem omnium voluptatem dimisit.
Hic enim jure solennis nobis sanctiorque esse debet
omnibus natali etiam proprio, quod ex hac luce
Princeps noster annos ordinat affluentes. Hujus
igitur conspectum, dum una Principem nostrum
præsentem heic nobis sistit, lætis vocibus excipia-
mus, omnibus optimis prosequamur, & faustis gra-
tulationibus consecremus.

Salve festa dies, gaudi pars maxima nostri!
Incolæ quidem Insulæ Haaulam, quæ nostris Zei-
lan, summo mane per dimidium milhare soli oc-



currunt, & viri & feminae, omnesque pariter in-
 censo thure orientem maximo gaudio salu-
 tant. Hæc heliolatria matutina, si ita adpellare li-
 cet, viguit etiam quondam apud Persarum vetustissi-
 mos, qui itidem solem radios ab undis prominentem,
 primo mane ritu solenni salutatum magno numero
 venerunt, interque solis ortum equos, huic DEO
 sacros, aut alias ipsi consecratas hostias immolarunt,
 in gratitudinis & lætitiæ documentum, ob splendoris
 ejus præsentiam conceptæ. Terris hæcæ Saxon-
 cis exoritur, imo jamjam exortum veneramus So-
 lem amoenissimum, splendidissimum in Principe
 nostro Clementissimo, qui radiorum suorum præ-
 sentia omnia omnium sibi parentium corda collu-
 strans, ut serio gaudeamus omnes, ipse solus efficit.
 Hic sane unice dignus, quem universa subditorum
 natura salutet, & felicissimam ejus lucem consensu
 lætitiæ consecret, antiquorum Saxonum gentili-
 smo adhuc immeritorum exemplo monita, quos so-
 li, ut primi sui auctoris Theut uxori, & fœcundæ
 DEÛm matris de fluctibus Oceani emergenti quoti-
 die sacra fecisse ajunt. Hunc omni venerationis
 cultu excipiamus, pro hujus incolumi salute ho-
 stias devotionis ardentissimæ immolemus; hunc
 ut

ut præsidium & dulce decus nostrum amemus, co-
lamus. Magnum quidem est quinquagies exemplo
Cæsaris collatis signis dimicare cum hostibus; urbes
munitissimas, ut Scipio Carthaginem, fortiter diri-
perè, ac quasi de cœlo missum, & ut ipsam Victori-
am, quod de Alcibiade memorant, inimicis æque
ac amicis contuendum se præbere: Magnum in-
tantum invaluisse audax Japheti genus, ut domini-
um etiam in vastum Oceanum sibi adferere audeat,
jamque fragilem truci committat pelago ratem,
non timens præcipitem Africum decertantem Aquil-
onibus, nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti; quo
factum, ut octies, quantum quidem memini, o-
mnem, qua patet orbis, angulum incredibili ausu
perlustrarit: Magnum quoque detectas jam jam
oras alio plane sole calentes, in quas antehac nemo
se penetravit; è quibus, quidquid delicationum
mercium nostra laudat stultitia, aut ut mollissime
dicam, curiositas, copiose ad nos defertur. Ve-
rùm gratulentur sibi hi de apertis quasi orbibus no-
vis; laudent isti audaciam suam in navigandis
maribus; extollant illi tropæa multo sanguine par-
ta; nobis profecto hæc tanti nondum videntur,
ut

ut cum nostræ felicitatis lumine, hac luce per Numinis clementis clementiam exorto, ullo modo committi, nedum exæquari queant: quos enim hoc prosperitatis projicit radios, inter omnes micant, velut luna inter ignes minores. Quem proinde hujus diei splendor, quo nullus patriæ illuxit candidior auspiciorque, non capiat; quem non hilarem, lubentem ac lætificantem faciat? Sane optatissimus ejus reditus meum ipsius animum novo quasi more lymphavit, ut incredibili gaudio victus, ac pene dixerim, ebrius, non mihi temperare valeam, quin voluptatem hanc incomparabilem ubique depromam, jactem, effundam. Sed æstus effervescentis lætitiæ, veluti carinas major vis procellæ, animum ita obruit, ut contrarium plane, quod olim Cræsi filio, mihi evenire sentiam, quippe cui, quem elinguem mater enixa erat, vehemens adfectus exprimendæ pietati in parentem, extremo vitæ discrimini expositum, vocem excussit; mihi vero gratantis pietatis documenta edituro vocem præcludit & interrumpit. Quid ergo, num tacebo? num tacitus gaudebo? Minime gentium: Circum spiciendi sunt, quorum consilio, ope, & fortietate adjutus pium hoc officium exequar. Sed
quis

quis consilio præsto erit? quis opem feret? quis comitem se mihi adjunget? Hem! quis alius, quam splendidissima Generosorum ac Nobilissimorum Dnn. Auditorum Corona. Vos ergo, Magnifice Domine Rector, Vosque Academiæ nostræ Lumina fulgentissima, Tuque flos circumstantium Nobilissime, Vos, inquam, compello, vestrum consilium expetesso, Vestrum auxilium imploro, Vos mihi comites exopto! Agite, quid facto opus sit, aperite! Nam eodem animo, eadem quoque causa, qua ego, tanta frequentia in hoc maxime splendido loco vos confluisse confido; tum qui alioquin multijuga eruditione, doctrina, & rerum experientia mihi longè majores & superiores meritò reputamini, exemplo tamen hocce vestro laudabili sane, tantum mihi animorum additis, ut quidquid in hoc negotio facio, fiducia vestra faciam, neque verear vobis in isto me adjungere.

Verum quod argumentum tempore hoc & loco dignum mihi sumo; qua ratione officii mei provinciam, ut quidem placeam, in Natalia Principis nostri Clementissimi, digne administro? Per opportune in frontibus vestris lætis ac serenis ad Romanos, Octavium Cæsarem Augustum sumus è Provincia

B

vincia

1674

wincia revertentem, excipientes me remissum video, ab iis excepturus, nobis quid heic ex usu fiet. Reducem enim hi e Provincia Augustum, ubi per aliquod tempus animi & imperii causa commoratus fuerat, non solum faustis ominibus, & modulatis carminibus prosequerantur, sed & in memoriam beneficiorum, Patris Patriae cognomen universi repentino maximoque consensu ei deferebant. Prima plebs legatione Antium missa: dein quia non recipiebat [uti enim in ambiendis honorum titulis mira erat modestia] ineunti Romae spectacula frequens & laureata: mox in Curia Senatus: neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messalam id mandantibus cunctis: Quod bonum, inquit, faustumque sit Tibi, domuique tuae, Caesar Auguste, Senatus te consentiens cum populo Romano consalutat *Patrem Patriae*. Sanctissimum hoc Patris Patriae cognomen, quod Romani Augusto suo ferè per assentationem detulerunt, multo rectius, me quidem iudice, *Principi nostro Celsissimo*, BERNHARDO, competere videtur, ut qui verè diciamat Pater atque Princeps, ac Verus Pater Patriae audit. Huius igitur Natalem hoc ipso mense, quo Augustus olim tanta veneratione colebatur,

ANNO

B



batur, divina favente gratia reducem merito omni cultu animo gaudentes prosequimur, colimus ac veneramur. Quod dum impræsentiarum communi suffragio, impar licet oneri huic ferundo, facio, linguis ut faveatis, oro!

Quod Chrystantas ille apud Xenophontem mente se voluisse pronunciat, bonum scilicet Principem nihilo differre à bono patre; quodque exemplo Cyri, ea ipsis consulenti, à quibus maxime in felicitate possint ad ultimum usque finem perseverare, apud suos adseruit; id profecto in universum de Principibus Trajanum æmulantibus omnibus tuto affirmare ausim. Pari enim adfectu uterque in suos ducitur, & quod liberi parentibus, id bono Principi sunt subditi, quos alit, fovet & defendit: hinc est, quod Romanos Augustum suum Patrem Patriæ adpellare audimus, & Cæsari, vita jam concessa columnam ponentes, Parenti Patriæ scribere videmus. Id quam verè Principi nostro Celsissimo *Bernhardo* conveniat, ex dicendis patebit.

Quum igitur divinum Numen Principem nostrum sancti parentis loco esse voluerit, & verò

B 2

pater

729
Pater nemo dici queat, nisi cui propagatio generis humani curæ cordique est, dubitari profecto non potest, quin Princeps noster BERNHARDUS verus Pater Patriæ adpellari mereatur. Quam multæ enim gentes, quam latæ ditiones, quam innumera Illustriorum familia Celsissimam domum Saxoniam parentem venerantur, Matrem amplectuntur, eique omnia, quanta quanta sunt, quibus dominantur, accepta referunt. Ne nimis alterem repetamus, aut ad VVitechindum usque Magnum adscendamus, à quo alta, & nusquam fathiscente paterni sanguinis Majorum serie, genus & originem *Celsitudo Tua, Princeps Serenissime, ducit*, Majores tantum superioribus sæculis præter imagines factis quoque & animis clarissimos intueamur, Henricum nimirum Landgravium Thuringæ, Fridricos Admorsum, Strenuum, Belluosum, Placidum, Ernestum & hujus pronepotem, Tuum autem Proavum Joh. VVilhelm, Avumque Johannem Domus Saxo-Vinariensis autores, & conservatores, qui omnes incredibili cura & paterna industria id egerunt, ut ditiones bello & pace acquisitæ hominibus abunda-

darent, cultu niterent, & omnium rerum abundantia adfluerent. Sed quid opus antiqua memorare? Tu, Princeps Inclyte, nobis instar omnium es: Tuum enim,

O qua Sol habitabiles

Illustrat oras, optime Principum!

Tuum, inquam, est, quod florentem incolimus urbem, nitentes habitamus domos; quod agros circum circa refertis incolis lætos conspiciamus; Tuum est, quod omni excusso jugo liberi vivimus, & sicut vetus ætas vidit quid ultimum in servitute esset, ita nos quid in libertate primum, dato per Clementiam tuam libere agendi & faciendi commercio. Tuum est, quod discussis veteris barbarici tenebris inter alios almæ Germaniæ populos eminentus, floremus, excellimus. O Principem verè Principem; O Patrem Patriæ amantissimum! Miratur Roma suum Romulum, qui Mavortia condidit

Mœnia, Romanosque suo de nomine dixit: Carthago, quamdiu invicta fuit, pro Dea Didonem suam coluit, quæ prima

*Jura dabat, legesque viris: operumq; laborem
Partibus equabat justis, aut sorte traherat.*

1678

Cui nos initia nostra debemus, nisi Inclytissi-
 mæ domui Saxonicae, Patriæque Patri nostro O-
 ptimo, Maximo? Hic ne de se conceptam
 populorum spem inanem relinqueret, ulterius
 progreditur more industrii & fidi parentis, ea cura
 iis, quos liberorum loco amat, prospiciendo, ut
 ubique vestigia almae benignitatis ejus videre li-
 ceat. Cujus enim alius, secundum DEUM, cu-
 ra ab inopia defendimur? Cujus alius opera ter-
 ram feracem Cereris, multoque feraciorem uvis
 colimus? Cujus alius munere exuto priore squa-
 lore, cultum imitantes moratorum gentium, ve-
 stibus induimur nitidis? Nisi Tua solius, Princeps
 Clementissime, cura & industria. Dum ergo hæc
 providentiæ munera sustines, summi Numinis vi-
 cem geris, imaginem ejus sanctis his salubribus-
 que actionibus referens; ac rectius proinde præ
 Cerere, quæ

Prima ferro mortales vertere terram

Instituit, ut est in fabulis, omnem venerationis ac honoris
 cultum tibi vindicas.

Ne autem dum corpori studemus, animus in-
 terea

terea sibi relictus vitiis subfit, saluberrime etiam
huic prospectum videmus. Recte namque in e-
ruditissimo illo monumento, Argenide, Barclajus
inquit: Ingenia, quæ virtutibus non impleveris, vi-
tiis vacant, veluti cessante cultu ager, quem mes-
sibus onerare timueris, se inutilibus herbis sponte
exhauriet. Hinc dum vicinæ gentes pro salute
communi arma capiunt, nos per Te almæ pacis
artes delectant, quæ semper & ubique sunt usui;
sapiencia, temperantia, placabilitas, innocentia,
religio, frugalitas. Hinc templa & Scholæ salu-
taribus personant doctrinis, literæ & ingenia li-
beralia foventur, bonæque artes promoventur,
tabernæ & officinæ fervent, & quæstus opificum
vigescit. Et quoniam omnes, qui recte, & ad po-
puli salutem res humanas administrare satagunt,
etiam in summa quiete arma parant, ut ubi res
postulet, non invalida nimis & tarda auxilia sint
invocanda; ideo belli necessaria, quæ prudentia
est Tua, indefesso studio paras, militares copias
conscribis, disponis atque lustras, ut ubi usus ve-
nerit, expeditioni promptæ sint.

Præterea ne forte Tui malo multentur aliquo,

vigi-

1678
vigiliis tuis efficis. Debet enim Princeps timere subditis ne quod imprudentibus malum accidat; ut bene plutarchus monet. Epaminondas quidem cum festo quodam die Thebani nimio plus se computationi dedissent, solus circumiens arma & muros lustrabat, sobrium se esse ac vigiliari dicens, ut aliis ebriis esse ac dormire liceret. Principes illi juvenes, poliarchus & Anchombrotus apud Barclajum hujus etiam virtutis experimenta extare voluerunt. Hic enim cum toties repudiatus amator Radiobanes vim pararet. Meleandrum avehere cogitans, scilicet non contentus Argenide; primus vigilantia solertia infidias iis structas deprehendebat, Regique & Argenidi, quo felicius eas evaderent, auctor erat, ut artem arte luderent. Ille verò cum apud Hyanisben ad præsidium Mauritanie moraretur, quam improvidam & pace nimia deceptam dictus Sardinie Rex Radiobanes bello aggressurus erat; & ob reducem Hyanisbes natalem, ac si pacis otia celebrarent, milites commessabundi in urbe & castris seque & pocula coronarent; ne fortunam subitis casibus utique gaudens, improvidos mē-
ren-

rentesq; possit percellere, solerti prudentia in tem-
pore prospiciebat. Exemplis hisce monitus non
tantum ab hostibus nos defendis, sed insuper et-
iam legibus salutaribus, justitia & aliarum virtu-
tum exercitio vitiorum in nos irruentium cater-
vas profligas. Herculem, laboribus indefessum,
monstra immania, & à nemine unquam domita,
virtute subegisse, priora secula finxerunt; quæ &
credere voluerunt, omne hoc, quod terram dici-
mus, illius humeris inniti. Sed Græcorum fabu-
lis vetustas faveat: Nos Te, ò Tutela præsens
nostræ Thuringiæ, verè Herculem illum, Jovis
filium experimur, qui non monstra ferarum per-
sequeris, sed scelerum agmina domas, luxuri-
am, latrocinia, raptus, animi humani pestes ex-
scindis, non clava, sed justitiæ ferro; totumque
pondus terræ tuæ pervigili statione immotus &
indefessus sustines. Hinc est, quod DEUM O.M.
sentimus nobis propitium, placatum, nostrique
amanissimum. Non enim Marci Curtii aut Decio-
tū crudelis devotio ardentis & omnia comburen-
tes divinæ indignationis flammæ extinguit, sed vi-
tæ innocentia precum devotarum fulcro innixa.

C

Non

1678

Non possumus tamen non mirari modum, quo in-
tuendo & defendendo nos nostraque, uteris:
Prudens Consilium, stabilis mens, sancta
Voluntas

Et rerum Custos Vigilantia
in Te uno tam arctis tamque firmis sunt constri-
cta nodis, ut, velis, nolis, quidquid pro republica
laboris suscipis, his auctoribus perficias; nun-
quam non animo volvens ac revolvens, bonos &
omni exceptione majores hos demum esse Prin-
cipes, quibus subditi felices fiunt; qui magis
subditis consulunt, quam sibi; qui potius de il-
lorum, quam propria solliciti sunt utilitate, & ad
illam promovendam privatis etiam non parcunt
bonis, qui que vitam etiam pro illis exponunt di-
scrimini, & morti pro eorum salute.

Habuit vetustas olim suos Numos & Lycur-
gos, qui populos in obsequia Principum, Princi-
pes ad justitiam imperiorum formarunt; Con-
spexit suos Alexandros, qui non contenti fines
imperiorum tueri, eosdem proferre laborarunt;
Coluit suos Augustos, qui Janifano clauso pacem
post multos bellorum tumultus, conciliarunt.

Suspe-

Suspexit suos Alphonfos, qui comitate & clemencia populos sibi devinxerunt : Amavit suos Epaminondas, quibuscum Patriæ gloria & nata & extincta fuit, quiq̃ pecuniæ parcissimi omnia pro rep. impenderunt : Vidit suos Codros, qui pro salute Reipl. ipsi se devoverunt : Ast quem nos optamus, imo quem habemus Principem, hisce omnibus, ne quidem iudice longe præferri meretur; cum non paulo plus negotii sit in rebus tranquillis arcere periculum, quam id in perturbatis propulsare, si quidem id fiat moderatione, prudentia, justitia. Nam ut Navarchus magis optandus, qui cyaneas cautes arte evitat, quam eas qui enavigat; ut melior medicus, qui ingruentis morbi vim præcludit, quam qui jam ingravescentem arte levat: ita præstabilior Princeps, qui sapientiæ consiliis efficit, ne qua bella moveantur, quam qui jam orta rei militaris scientia gnaviter administrat. Harum rerum studio fit, ut nullum fortius aut præstantius status nostri munimentum deprehendamus præter pacem augustissimam, pacem illam consilio profundissimam, amplitudine diffusissimam, miraculis fan-

129

etissimam, felicitate uberrimam; in quo quor-
 dem elegantissimum simulacrum divinitatis exhi-
 bet noster Pater Patriæ; dū ut æternū Numen uni-
 versam rerum naturam admirabili inter se con-
 cordia & suavi quasi harmonia singulis momentis
 statuit & restituit; ille concordiam & mutuum a-
 morem, securiginem omnis tranquillitatis, in
 civibus suis virere & florere facit, quod ipsum
 jam Claudianus Honorio suo inculcare voluit,
 dum ait: *insup. maluitq; sicis alluipant*
 Nonne vides, operū quod se pulcherrimus ipse
 Mundus amore liget, nec vi connexa per ævum
 Conspirent elementa sibi? *imp. subano sig*
 Cum vero illa, quam diximus, tranquillitas, non
 sola incedat, sed magna virtutum stipante caterva,
 Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
 Exercet Diana choros; *imp. subano sig*
 quod de Didone Maro eloquitur; mirum non
 est, quod almas ejus filias & semper florentes alu-
 mnas in hisce ditionibus pedem fixisse cernimus,
 quæ magno ornamento & Principi, & universo
 sunt populo, quæq; nullibi non bonitatis suæ clara
 relinqvunt vestigia. DEum immortalem! quan-
 ta

Handwritten marginal note in a large Gothic script.

Handwritten marginal note in a smaller Gothic script.

Large, faint, decorative initial or watermark in the upper left margin.

Large, faint, decorative initial or watermark in the upper middle margin.

Large, faint, decorative initial or watermark in the upper right margin.

Large, faint, decorative initial or watermark in the upper right margin.

Large, faint, decorative initial or watermark in the upper right margin.

Large, faint, decorative initial or watermark in the upper right margin.

Large, faint, decorative initial or watermark in the upper right margin.

Large, faint, decorative initial or watermark in the upper right margin.

ta lux Ecclesiam nostram irradiat, dum incorrupta
Evangelii doctrina Tuis vigiliis, BERNHARDE,
Amor & delictum nostrum, publice proponitur;
Quantus splendor nostræ affulget Academiae, dum
ingenia quæque optima ad docendum & prædi-
candum Nomen divinum, formantur; dum in
sanctæ Themidos adyta deducuntur, dum ad di-
vina Machaonis aut Æsculapii mysteria admittun-
tur, & in universum, quidquid sapientiæ & scien-
tiæ humana mens adsequi potest, Curiosus adponi-
tur: Quantum ornamentum toti Civium cœtui
accedit, dum non ut Orientis aut Novi Orbis in-
colæ omnium rerum expertes coeco impetu vilis-
sima quæque mirantur, sed multis iisque saluber-
rimis artium meliorum inventis aucti vicinos in
admirationem sui rapiunt.

Non dicam de virtutibus, quarum omnes & sin-
guli sunt observatissimi: Provecetior ætas, sorte sua
contenta, consiliis & precibus rempl. adjuvat; vi-
rilis, operum indefessa, laboribus eam sustinet; Ju-
venilis, rudis voluptatum, studiis & artibus vacat;
puerilis doli non capax, ad virtutem formatur:
Sequior sexus, ubi

c 3

Mul-

Multa pudicitiae veteris vestigia cernas,
 honesti & decori studiosissimus: Matres com-
 mendat in maritum & liberos amor; Innuptas mira
 formae atque pudicitiae concordia; omnes ma-
 gna cura quaerendi decoris ac famae, utpote

Cujus apud molles magna est jactura cathedras.
 Harum virtutum omnium condimentum qua-
 si quoddam ac supplementum accedit pietas,
 quae & sancte de divino Numine sentire, & actio-
 nes ad ejus voluntatem conformare docet. Hac
 sublata, quidquid feceris, peccatum est. Nam
 ut bene Silius ait:

Primae scelerum causae mortalibus aegris
 Naturam nescire DEUM.

Verum quia componitur orbis
 Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
 Humanos edicta valent, ut vita regentis;
 Ideo ipse, Princeps noster, recti moris exempla in
 populum effundendo, amore probitatis & hone-
 statis ipsum imbuit, siquidem talem se gerit, ut o-
 mnia ejus facta dictaque, tanquam jussa & scita
 excipere possit. Sicut enim consilium formae ex
 speculo petimus; ita Principem intuentes, inde
 quod

quod imitemur, capimus : Ut proinde cum Ne-
rone, quinquennium nondum egresso apud Se-
necam gloriari possit Princeps ; Sic me custo-
dio, tanquam legibus rationem redditurus sim.
O divinum Principis animum, quo nil melius,
aut majus mortalium generi concessere Superi!

Quid porro liberi, tantis à parentum benigni-
tate adfecti beneficiis, muneris sui esse rebuntur?
Quo animo Patria Principis, Patris sui, excipiet a-
morem ? Profecto, si quis pietatis sensus, mini-
me ingrato, & licet dignam gratiam referre ne-
queat, tamen pro viribus hunc colendo, id effice-
re conabitur, ut saltem proba videatur. In quo
dum gratam se exhibere nititur, similis mihi pene
videtur illis, qui oculorum aciem in nitentes solis
radios intendunt ; nam quo magis illos intuen-
tur, eo ipsa videndi vis ac sensus nimia luminis
claritate fit hebetior. Verumtamen quanquam ipsa
bonorum multitudo deterreatur, non potest ta-
men non, quin in gratitudinis memoriam ea ad-
miretur, laudet & extollat. Quemadmodum e-
nim summus ille & infinitus rerum moderator
DEUS summam perfectionem suam in creatis à
se

169

se operibus universo terrarum orbi exhibet & ostentat ; ita Princeps noster Celsissimus hanc ipsam per bene constitutam & laudabiliter formatam rempublicam nemini non ostendit , ac proinde jure etiam illud poscit , quod DEO debetur , amorem & cultum. Utrumque adsequitur : Nemo enim tam malignus bonitatis ejus aestimator , quin illum tanquam praesens & salutare Numen non habeat. Hoc intelligentes veteres Babylo-
 nii , Principes suos & vivos & mortuos Diis adsimilabant : Armenii Cyro , ad se descendentem , obviam facti , quidquid pretiosi adservabant , tanquam Numini offerebant. Persae Regem , procumbendo in terras adorantes , divino cultu prosequiebantur. Notus est Alexander , qui propterea Jovis Hammonis filium se ferens , etiam ita coli voluit. Loquuntur historiae , quanta reverentia devicta Babylon ipsum exceperit , dum argentea altaria non thure modo , sed omnibus odoribus in ejus honorem cumulavit. Ut taceam Augustum , cui Roma thura libavit : Cajum , quem inter altaria & victimas ardentesque tædas incendente venerata est : qui omnes , utut sese per mortales



tales fieri DEos ambiciosius adfectabant, senserunt tamen quod divinæ perfectionis particulam intra se gererent, supra vulgarem modum sese venerabiles. Præterea cum honor Principibus debitus, vanum nomen sit, nisi accedat imperii patiens animus, sine quo Resp. firma esse nequit; officii nostri utique erit iussa Principis, quibus in ejus obsequia formamur, ita amplecti, ut omnes nostras actiones juxta illa instituamus, imprimis si clementiâ moderata, & bonitate temperata fuerint. Quæ enim monstrum hominis Cæjus Caligula vi domini & potestatis supereminens à Romanis, servis jam jam, exigit, atrociora & pejora sunt, quam quæ aut præcipi, aut à bono cive expectari possint. Denique obrutæ magnitudine beneficiorum quid aliud Patriæ restat, quam ut, siquidem paria facere non potest, Te BERNHARDE,

O decus, o Patriæ per Te florentis imago! finem amorum suorum constituat; Te, quem colit ac veneratur ut Principem, diligat ac observet ut parentem. Profecto de te affirmare possumus, quod olim Seneca haut per adulationem Neroni suo attribuebat: Nemo unus homo uni homini

D

tam

1674

tam carus unquam fuit, quam Tu, populo Tuo, magnum longumque ejus bonum ! Grande olim pietatis documentum credebatur, quod omnes populi Romani ordines in lacum Curtianum stipem ex voto jaciebant pro salute Cæsaris Augusti: Majus autem quod Calendis Januariis strenas in Capitolium mittebant, etiam absenti. Nos non superstitiosa assentatione, aut profanis victimis, sed religiosissima devotione, sed purissimis precibus salutem & incolumitatem Tuam à supremo Numine optamus : Te enim ut parentem amamus, ut lumen nostrum suspicimus, ut delicias nostras amplectimur. Nec injuria, commendat namque Te nobis præter enumeratas virtutes, etiam plusquam heroica totius corporis species, procul etiam Principem ostentans, decentissimus cultus, insignis honor capitis, vividus oculorum vigor,isque oris, qui in Te elucet, habitus, qualem & hostes formidare, & vereri improbi possint, boni verò non possint non amare. Ut taceam in tuæ felicitatis exemplis Conjugis longe auspiciatissimas gratias, quæ præter egregia Principum Parentum stemmata eam virtutem in thalamos tuos intulit, ut plane

ne digna videatur, quæ cuius veterum heroinarum
non tantum æquetur, verum etiam anteponatur.
Hinc quidquid amoris, quidquid obsequii, quid-
quid officii parentem ab amantissimis liberis expe-
ctare oportet, id omne Tibi de nobis pollicere.
Quantopere autem plenum hoc favoris & gratiæ
nomen Patris Patriæ placet bonis Principibus, tan-
topere id ipsum deterioris notæ detestantur, vario
colore, præcipue tamen conscientiæ pudore
id declinantes aut differentes. Tiberius quidem
maximus ille simulandi & dissimulandi artifex sce-
lerum memoria prohibitus hanc Patris Patriæ ad-
pellationem à populo sæpius ingestam obstinatis-
sime repudiabat; qui etiam cum, ut Tacitus loqui-
tur, multa in Augustam Matrem Patrum esset adu-
latio, alii Parentem, alii Matrem Patriæ adpellan-
dam censentium, solus, anxius invidia, ob-
stabat. Nero septendecim annos natus Impera-
tor consalutatus, ætatem causabatur, per
quam sibi hoc nomen deferri volebat. Flavius
Vespasianus contra & Adrianus admodum sero
sibi id imponi patiebantur; hic quidem,
quod Augustus non nisi multis laboribus,

167

& quidem sero illud meruerit ; ille vero moderati-
 one, quam & in Imperio præ se ferebat, prohibitus.
 Quam ingrata sunt contra ista nomina, in con-
 tumeliam Imperantium conficta, quibus vitia eo-
 rum deteguntur. Quam ignominiosum erat Ca-
 jo monstrum, & à sagacissimo sene Tiberio Natri-
 cem populi Rom. Phaëthontem orbis terrarum ad-
 pellari ? Quam contumeliosum Claudio, à Matre
 portentum hominis, ab Avia Augusta pro despe-
 ctissimo haberi. Quam inglorium Carolo IV.
 Imperatori à Maximiliano I. alterum Crassum, Im-
 perij Vitricum, & dissipatorem vocari : Et ejus fi-
 lio, Venceslao ab universis Ignavi cognomine
 insigniri ? Sed quid moramur prodigiosa illa mor-
 talium monstra ? ea est bonitas Patris Patriæ no-
 stri, ut à nobis divelli nequeat. Unum tantum
 animum nostrum vellicat, quodque gaudium sin-
 cerum esse non patitur, metus nimirum & pericu-
 lum desituri tanti boni. Nam hæc est humana-
 rum rerum conditio omniū, ut simulac in fastigium
 suum enatæ sunt, jamjam decrescere incipiant, at-
 que brevitate sua spem longam nos inchoare ve-
 tent ; quod bene notat Sulmonensis ille Poëta :

O-

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valere, ruunt:
Tum à quo omnia dependent, DEus benignissimus
multitudine vitiorum nostrorum motus, si quidem
justus esse velit, non potest non omnium bonorū
proventum nobis eripere, & immittere contra ma-
lorum iliada: Cui accedit, quod Princeps peren-
ni hocce motu, & nunquam otiosa mente fessus,
sefe hisce laboribus subtrahere cogitur. Verum
inani metu cruciamur; nam in nostri curam ita
obfirmavit Princeps animum, ut nullo modo ab ea
dimoveri queat, piaculumque sit dicere, quod A-
drianus olim de Commodo Cæsare non sine dolo-
re pronunciabat: In caducum parietem incum-
bimus. Nec est, quod iratum DEum vereamur,
utpote quem devotissima pietate ipsius Principis
placatum scimus: Tum, quod Dido apud Virgi-
lium non sine lacrymis optabat, nim. ut parvulus il-
li Æneas aula luderet, qui Patrem tantum ore refer-
ret; id in subsidium & solatium omnium nostrū
divina concessit benignitas; dum Principem plus
vice simplici pulcherrima prole, & mascula, & fe-
minea parentem fecit, quæ vera sunt munimenta

d 3

do-

167

dominationis, & subsidia pacis à vicinis impetran-
 dae; nulla enim res magis salutifera, & idonea ad
 conglutinandam concordiam, quam haec bono-
 rum Principum foecunditas. Et quod omnium
 maximum est, hic ipse dies, quo jam ante decem
 lustra Serenissimus noster Princeps in lucem hanc
 susceptus est, non sine divino quodam omine redi-
 ens, magno documento est, fore hanc nostram fe-
 licitatem maxime perpetuam.

Hunc igitur diem tanta nobis promittentem,
 ut mentis gaudiis & verborum honoribus celebremus,
 magna profecto officii nostri pars videtur. Sane Persae ex omnibus diebus praecipue colendum
 censebant suum quisque natalem; Quanto magis
 Principis? Nec Aegyptios quidquam heic inter-
 misisse legimus. Quantum laboravit Roma, ut
 Augusti sui natalem quotannis celebraret, in quam
 rem annuos Circenses & alios ludos decreverat; &
 ut festivitati huic impensa suppeterent, erat ipsis ar-
 ca communis. Quae ipsa etiam Tiberii natalem
 exhibitis spectaculis honoravit, aliorumq; à quibus
 multis erat maectata beneficiis. Et quidem merito.
 Cum enim nullo non tempore Principi sit studen-
 dum; & vero omnes arripiendae occasiones de-
 cla-



clarandi, quo animo, quo ve adfectu ducaris in Prin-
cipem ; nulla melior aut optatior sese offerre po-
terit, quam hic ipse dies, qui alioquin jure quodam
præ ceteris poscit, ut gratitudinis quoddam moni-
mentum, & gratiarum exemplum statuas.

Ast prohi DEum immortalem ! quæ vis tam
inopinato animum meum perturbat ? quo trahor ?
aut quid ?

Animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias ?

Certe ad gratiarum memoriam, non secus ac ma-
re, quod natura sua tranquillum ventorum vi agi-
tur, ita turbor ac commoveor, ut quæ sint prima
aut novissima dicenda dispicere nequeam : Tan-
tus quippe heic sese campus mihi aperit, ut dies me
citius deficiat, quam dicendi materia. Ut meam
soliis causam verbo eloquar ; ex ultima fere Sile-
sia fama & virtute Serenissimi nostri Principis exci-
tus, huc delatus, eam clementiam ac favorem mi-
hi hæctenus exhiberi sensi, de quo ne per somnum
quidem quidquam in mentem venerat unquam ;
unde recte de Principe pronunciare audeo :

Non hic creditus est mortali de Patre natus
Esse : DEO genitore fatus sed ducere vitam.

To-

167
b

Totus porro Nobilissimorum circumstantium cæ-
tus nutu & vultu testatur, idem sese obtigisse. Et
universa Respublica, Patria amantissima, unice hoc
agit, ut in Principem, Patrem suum, grata videatur
& habeatur. Jam, si quid veri mens augurat, quid-
quid amas, quidquid speras, quidquid desideras, Pa-
tria dilecta, id omne à Principe Tuo expecta. En
ipse benignissime hoc tibi promittit; Et ne voto
tuo excidas, parvulus ille Æneas, Heres optatissi-
mus, fidem dat, ita futura omnia. Hunc intueri,
hunc amplectere; hunc fidus ac pullum cum Ro-
manis Cæsum acclamantibus omine meliore, ad-
pella. In hoc enim, licet admodum puero, jam
sublimes spiritus, & divini animi notas haud ob-
scure colligere potes. In te ergo descende, & repu-
ta, quantum parentibus hisce debeas. Matri sane
omnibus virtutibus, quæ in matrona spectari &
commendari solent sic fulgenti, ut vere *ταμείον ἀγενής*
dici possit, grates dignas persolvere non opis est
tuæ, Patria! Quid autem, num tacebis? neuti-
quam. Gratulare ergo, Principi, gratulare Tibi de
mistura hac saluberrima generosi sanguinis, è qua
in aula crescit infans & ore & animo ferens Patrem.

Quis

Quis jam Nataliæ hæc tot bonorum feracia non celebret? Quem non moveat tantæ felicitatis memoria? Agite, gratulemur Principi, gratulemur nobis, gratulemur omnibus. Sed quia Optimo Principi de felicitate gratulari nihil aliud est, quam divinæ beneficentiæ gratias agere; nihil huic festivitati magis congruet, quam à DEO Optimo Maximo perpetuam faustitatem Principi, & lata reipublicæ precari. Votorum summa est, ut æternus & infinitus Pater Te, Princeps Serenissime, diu patiatur lætum interesse populo Tuo, nec non ab omnium periculorum injuria defensum fortiter tueatur, quo omnia, quæ facis, quæque facies, prosperè cedant Tibi, Reip. nobis, vel ut paucis multa dicam, uni Tibi, in quo & Respublica & nos sumus, atq; hunc natalem diem semper felicem per annorum decursus numerosum esse sinat!

Tibi autem, Princeps Celsissime, qui hactenus quidquid ab optimo parente expectari potuit, cumulatissime nobis præstitisti, unanimi maximoque consensu Sanctissimum hoc Patris Patriæ cognomen deferimus, Teque, quod bonum faustumque sit Tibi, domuique Tuæ, Academia nostra consentiens cum populo consalutat PATRIÆ PATREM: acclamans illud Nasonis:
Sancte Pater Patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen, eques.
Res tamen ante dedit, sero quoque voce tulisti
Nomina: jam pridem tu Pater urbis eras,

E

Hoc

1674

Hoc tu per terras, quod in aethere Juppiter alto,
 Nomen habes, hominum tu Pater, ille Deum.
 Jam mihi videor videre gaudio exultantem Prin-
 cipem, imo huic acclamationi annuentem; & quod
 omnium maximum est, cum Augusto hæc responden-
 tem audio: Compos factus votorum meorum, Pa-
 tria amantissima, quid habeo aliud Deum immortalem
 precari, quam ut hunc consensum Tuum ad ultimum
 vitæ finem mihi perferre liceat.
 O verè aureum & Patre dignum responsum! Hæc,
 PATER PATRIÆ Clementissime, Tibi in animis nostris
 templa, hæ pulcherrimæ effigies, & mansuræ: nam
 quæ saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium
 vertit, pro sepulchris spernuntur. Quidquid ex Te
 amamus, quidquid miramur, manet, mansurumque
 est in animis hominum, in aternitate temporum, fa-
 ma rerum. Vos interim, quotquot amatis Princi-
 pem, votis vestris communem juvate lætitiã, &
 quod ego verbis nequeo, id vos re ipsa efficite!
 Gratulamini, plaudite, canite florentissimo
 PATRI PATRIÆ!



Hoc

E



QUADRAGESIMAM GENIALEM,
AD
NATALITIA EXOPTATISSIMA
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. BERNHARDI,
SENIORIS,
DUCIS SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, LAND-
GRAVII DURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, PRINCIPIS
HENNEBERGIÆ, COMITIS MARCÆ ET RAVENS-
BURGI, DYNASTÆ RAVENSTENII,
DOMINI MEI CLEMENTISSIMI,
A QUADRAGESIMO VITÆ GLORIOSISSIMÆ
ANNO D. XXI. FEBRUAR. ANNI *cl* *lxx* LXXIIIX.
FELICITER ABSOLUTO,
AD FELIX LUSTRI NONI AUSPICIUM
DIGNO CIVIUM BONORUM PLAUSU, GRATULATIONE VOTIS-
QUE SOLUTIS ET EX INTEGRO CONCEPTIS,
DIVINO BENEFICIO, PRISTINÆ PACIS BONORUM CONSTANTIA
ET FUTVRI SALVTARI OMINE EFFULGENTIA,
AB
GENEROSO AC PRÆCLARIS CORPORIS ANIMIQUE
ORNAMENTIS NOBILISSIMO
DN. VVENZESLAO von Trach /
EQVITE SILESIO,
PIETATE PUBLICA AD D. JOVIS HORA X. IN ÆDE
ACADEMICA AUSPICANDAM
ILLUSTRISSIMÆ UNIVERSITATIS ACADEMICÆ FAVORI,
STUDIO ET VOTIS CONCERTANTIBUS,
DEVOTUS IPSE SUI SERENITATI AC LÆTITIÆ PLENUS,
OBSERVANTER ET SOLLICITE COMMENDAT
PHILIPPUS MÜLLERUS,
SS. THEOL. D. ET ELOQVENT. AC POES. P. P.
E

106

167



Iva, victrici generosa lauru,
 Mentium reatrix, vitii catasta,
 Quæ tuos mundi melioris astris
 Entheca misces;
 Quem novo gestis decorare cantu?
 Quid sacros poscis numeros ut ævum,
 Mortium victrix, domitrixque fati,
 JENA, recentes:

Nil prius reddes titulis JEHOVÆ,
 Nil bono: res hic hominum trementes,
 Hic tuas, gratis vice munis almâ
 Temperat horis,

Eccè BERNHARDI *Geniale Lumen*
 Loctus investit! Tibi fata hianti,
 Et rata tanto potiora sancit
 Pignore Pacis,

Ut Jove horrescens Notus asperato
 Fronte conterret freta sæva tristi,
 Luger & seros Zephyros sub undis,
 Condita tellus;

Donec apricæ alitis ora fausta
 Temporum certos repetunt honores,
 Ac tepor soles redivivus arvis
 Blandior aptat:

Sic sui captat Genium Parentis
 Patria, ac vultus revocat serenos,
 Unde votivo niteant decore
 Munera Divûm.

Ille *Germani*, tumido sub æstu,
 Stella cum desiderio trementi
 Emicat, ventis furor ac tumultus
 Fluctibus exit,

Ille.

Ille tranquillæ ferias Salanzæ
Perpetes præstat. Pietas inardet,
Ac Themis dignâ Nemese revincit
Crimina vitæ.

Alta Pax! tutum pecus errat agris,
Vomer it, Cespesque tepens inhalat
Palmiti focto ubera. Sylvaque umbram in-
Fonsa perennat.

Arte WILHELMUS dominator istâ
Æmulam Prolem patrios in ausus
Duxit, & bello faciles & almæ
Pacis honori.

Hac Avis magnam revirefcit ævum,
Saxo quâ vastam Witichindus Aethram,
Seculorum unum decus imminentum
Laudibus implet.

O quis huc otî bona fata firmat!
Quis timet Gallum, gelidumque Svedum?
Quis minas dirus quibus horret Orchan,
Principe salvo!

Liberas dextro Jove opes parabant
Teutones nunc Sole opulentiores
Ipse dulcescet rubus, ore multo
Germina trudens.

O poli castra alta, videtis instar
Principis compar? *Patruique* ritu,
Et *Patris*, fatum patriæ decusque
Condere priscum?

Hic scelus nullum vetat expavere,
Curaque incassum exedet ægra pectus,
Impium probum semel opprimetur
Et furor atrox.

Servil.

Servitus hinc corde micante cedit,
 Ultimas exul Gvineas pererrans;
 Una demulcet Domini beatum
 Gratia civem.

Jam merum corde exigit hoc dolores,
 Jam scyphus spumante volet dyota,
 Civitas tanto Genii favore
 Pulchra madescat,

Verberet Rutam tertio triumphus,
 Ante quam gratos Ceres ignit agros,
 Et vadis gaudeto reverberata
 Vocis imago:

Cernis, ut purus ferat æther axes?
 Ut dies Phœbo meet auctiore?
 Noltra quam se montibus æquet altis
 Aurea vallis?

Auræ O Salve Pater alme pacis,
 Otii docti pie vindicator,
 Artium tutamen Apollinisque
 Præses & auctor.

Arbiter Martis, Toga sospitatrix,
 Fama Te toto feret orbe divum,
 Quâ strepit Nilus Sinicoque fulvus
 Margine vortex,

Inclytum ô Rutæ dominantis augmen
 Salve! & optatas Genialis horas
 Lucis immensâ vice, Prole, nostris
 Adfere votis!

Tuque divum Rex hominumque custos,
 Fata BERNHARDO nova mitis adde,
 CONJUGEM NATOSQUE tuere semper
 Vindice dextra!



Ms 2584

40

ULB Halle
004 969 014

3



VD 17

M. C.



1678



Ser
BER
Duci S



nes perfo
regiam vo
la liceret
ander, R



OO,
avia

atis titu-
raturum
tissimus
jum Po.
inceps Se-
m pri-
Theocri-
eleandri
cipis au-
Mele.
non po-
tuit

